



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

Purgativa, illuminativa, Unitiva.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Hoc solum Chamleonti datum, quod vulgo dictum est: de corio suo ludere. Tertull. de pallio c. 3. De corio suo ludit, semper jejunos, & semper nitidus: Stomachus alget, & vestis nitet. Naxera in Jos. 9. §. 4.

Vestis fulgurat; sed crumena pallet. Data est ei stola, & annulus; sed vitulum esurit, & glande vestitur: Purpurâ, & byssô, vestitus; epulatur quotidie miserè. Unus, idemque, & epulonem in veste exhibet, & fame Lazarum. Oliua l. 4. Strom.

## §. IV.

*Exempla modestie in vestitu.*

Virgo Cunegundis Imperatrix uxor Henrici I. Imp., extincto conjugè migrans in claustrum, positis insignibus Imperialibus, Religiosum induit habitum. Moritura ad agonem supremum se accinxit. Advertens autem, Religiosas expandisse aulae, & tapetia, regia, quæ tegerent corpus emortuum; exclamat: tollite mox ista hinc: sapiunt enim vanitatem, & dedecent sponfam Christi. Melius mihi consulatur hac humili veste, quam superbis his aulatis. Historia Imper. sub anno 1040.

S. Elisabeth Ungariæ regina saepe sub holosericeis vestibus cilicium gestabat. In vita surius 19. Novemb.

S. Francisca Romana, licet uxor esset nobilis, & ditissimi viri; vilibus tamen vestibus induebatur. Bollandus. 9. Martii.

## §. V.

*De vestimentis varia.*

Ornatus Pontifex Ex. 28. §. Creaturarum omnium typum gestabat in vestibus sanctis; in quarum coloribus totius Mundi similitudinem præferbat. Byssus enim terræ deputatur, de qua gignitur: purpura mari, quia ex ejus cochleis tingitur: hyacinthus aëri, cujus speciem habet: Coccus, propter ruborem, igni ut auctori. Arnoldus Carnot. tr. de 6. & 7. Verbo Christi.

Solet sub nigro habitu anima satis pura latitare: nec multum interest, si quis non habeat candidam vestem. S. August. l. 2. Dom. in oct. Pasch.

Obsecro, quicumq; hæc legis, ut Hieronymi peccatoris memineris: cui si Dominus optionem daret, multo magis eligerem tunicam Pauli (Eremitæ) cum meritis ejus; quam regum purpuram in pœnis suis. S. Hieron. ex vita S. Pauli Eremitæ.

S. Apollonii, qui fuit Pater quingentorum Monachorum, miræ sanctitatis viri vestimenta non veterascebant, inquit Palladius in Lausica c. 52.

## TITULUS VIII.

### VIA.

*Purgativa, Illuminativa, Unitive.*

**A**nquam comedam, suspiro. Job. 3. 24. Antequam comedat, suspirare habet necesse: qui nisi per compunctionis gratiam, & post lacrymarum effusionem, ad intimam animæ refectionem, veritatisque pabula, nullò modò potest peringere. Richardus à S. Vict. de erud. hom. l. 1. c. 16.

*Osculetur me osculo oris sui.* Cant. 1. 1. Tria sunt oscula: Primum pedum, secundum manuum, tertium oris. Cum primò convertimur, pedes Domini osculamur. Secundum osculum fit, cum primùm ad opera bona surgimus. Tunc manus Domini osculamur, cum ei nostra bona opera offerimus; vel cum ab eo virtutum dona recipimus. At verò tertium osculum tunc fit, cum jam assumptò luctu poenitentiae, jam acceptis virtutum donis, mens cœlesti desiderio inspirata, ad secreta interioris cubicali gaudia, impatiens amoris introduci desiderat; cum dulcibus suspiriis, vocem animi interruptibus, piò cordis affectu decantat: *vultum tuum Domine requiram.* S. Bernardus in parv. serm. l. 52. In primo osculo primordia dedicantur nostræ conversionis: secundum autem proficientibus indulgetur: porò tertium sola experitur, & rara, perfectio, Idem l. 4. in Cant.

*Surge propera, amica mea &c.* Cant. 2. 10. *Surgere*, pertinet ad eos, qui incipiunt: *properare*, ad eos, qui proficiunt: ad perfectos autem, *venire.* de Ponte hic Exh. 13.

*In lectulo meo per noctes quasi vi &c.* Cant. 3. 1. Nota: triplex lectulus invenitur in hoc libro. *Primus* est tenebrosus: *in lectulo meo per noctes.* *Secundus* est ornatus, de quo: *en lectulum Salomonis &c.* *Tertius* est *floridus.* In primo jacent vulnerati peccatores, id est, poenitentes: in secundo jacent fatigati in bello; id est, proficientes in tentationibus: in tertio jacent delicati; vacantes, otio; id est, contemplantes in excessu mentis. Hugo Card. hic.

Christus post Resurrectionem apparuit in triplici specie. Magdalene in specie hortulani: Discipulis in Emmaus in specie peregrini: & Apostoli æstimabant se Spiritum videre. Illud tempus inter Resurrectionem, & Ascensionem, significat tempus gratiæ; in quo se habet erga incipientes ut hortulanus; cujus officium est nocivas herbas eradicare. Erga proficientes ut peregrinus, eos in via deducendo. Erga perfectos ad modum Spiritus, eos suo amore inflammando. Broymard, Chrysoſt, Resurrect.

Plura

## Plura de vijs.

*Statuisti in loco spatiosos pedes meos.* Pf. 30. 9. Certè angusta via est: laborantibus angusta est; amanti lata est. S. August. hic.

*Parabola Salomonis.* Prov. 1. 1. Proverbialis sermo aliò nomine parœmia vocatur. Cum enim initiò viæ in milliaria necdum essent distinctæ, priscae ætatis homines, per certa itinerum intervalla, signa desigebant; iisdemque aliquod problema, vel apophtegma, vel illustre aliquod dictum, ascribi curabant. Faciebant id autem duplici de causa: Prima, ut viator hinc intelligeret, quantum viæ spatium emensus esset: altera verò, ut ejustmodi sententiam animò versans, ejustdemque interpretationi inter proficiscendum insistens, melior, & doctior evaderet; & simulque itineris molestiam falleret. Didymus in Catena Græcorum.

*Sapientia prædicat, in plateis dat vocem suam.* Prov. 1. 20. In lata videlicet, & spatiosa via; quæ ducit ad mortem: ut revocet ambulantes per eam. S. Bernardus f. de verb. Abac. super custodiam meam stabo. Duæ nobis viæ notæ erant: altera primaria, & præstantior; quæ videlicet ad sacras domos nostras, sacrosque Doctores, ferebat: altera secundaria, nec ejustdem honoris; nimirum quæ ad externæ doctrinæ Professores ducebat. Reliquas omnes, quæ ad festa, spectacula, celebres conventus, epulas, ferebant; volentibus reliqueramus. S. Greg. Naz. or. 30. in laudem Basilij.

*Quis autem hominum intelligere potest viam suam.* Prov. 20. 24. Tò autem potest accipi ut causale pro enim; ut det causam præcedentis hemistichij. Non enim homo per se valet intelligere viam suam, ut prævideat, quâ viâ sit securè incedendum; quæ via, & modus, ad feliciter rem conficiendam: hæc enim superant hominis providentiam, & divinam requirunt. Sape enim homo putat, se rectâ virtutis viâ incedere; & curvâ vitij incedit. Putat se ire in Jerusalem, dum vadit in Jericho, juxta Prov. 16. 25. *est via, quæ videtur homini recta; & novissima ejus ducunt ad mortem.* Aman invitatus cum rege Assvero à regina Esther, putabat se ire ad gloriam; & ibat ad furcam. Esth. 7. 1. 10. Æsopus in via deprehensus à Magistratu, interrogatus, quò iret? respondit: nescio. Magistratus, sibi ab eo illudi, vel insultari, putans; eum abduxit in carcerem. Tum Æsopus: nonne verè dixi, me nescire, quò irem?

scilicet in carcerem. Ita quotidie, dum domò eximus, nescimus, quò eamus? quia sæpè, præter mentem, ab occurrentibus aliò abducimur. *Pete à Deo, ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.* Tob. 4. 20.

*Justum deduxit per vias rectas.* Sap. 10. 10. Via Domini via recta, via pulchra, via plena, via plana. Recta sinè errore; quia ducunt ad vitam: pulchra sinè forde; quia docent munditiam: plena multitudinè; quia totus jam Mundus est intrâ Christi sagemam. S. Bernardus f. de verb. libri Sap.

*Parate viam Domini.* Luc. 3. 4. Non dixit, parate viam Domino. Via præparanda Fidelium animus: hanc viam Dominus inibit. Rex est, Dominus est: sit Domini via, sit Regis. Via regia, animus est, Regis Domini virtutem æmulans: studeamus à via, seu à corde, pellere servitutem. Escobar. t. 3. Coll. Chr. 1. 4. Sect. 2. Obl. 4. Parat viam, qui corrigit vitam. Guarricus f. 4. de Adv. Viam, quam jubet parari; vita est Christiana. Potest itè per viam anima intelligi; semitæ verò cogitationes, & opera. Theophylactus hic.

*Dirigite viam Domini.* Joan. 1. 23. Servus sum, & viam præparate Domino corda vestra. Proinde illa facite recta dolosi vos, & obliqui; & facite æqua: ita ut Dominus Christus per vos iter faciat. Theophylactus in Luc. 3. Id est, corda vestra disponite ad receptionem, in habitationemque, Christi: vitiorum obliquitates, seu gratiæ obicem, repellendo; &, quod in vobis est, faciendo. Dion. Carthul. in Matth. 3. 3.

Petatur sedulo à Domino, ut dirigat vias affectuum nostrorum, vias intentionum, vias morum: quoniam, si Deus dirigit, eutremus sinè offendiculo; non errabimus. Ad ipsum pervasiemus: quia omnis via, quam ipse dirigit, ad ipsum perducit: & suarum directionum ipse factus est finis. Dion. Carth. l. 1. 15. de just. Christ. c. 2.

Via publicæ, & regie, Romæ olim viginti novem numerabantur: quæ non solum lapidibus eleganter strata; sed utrinque etiam lapideis sublellijs, ædificijs sumptuosis, templis, sepulchris, & statuis, instructæ. Inter alias fuit via triumphalis; in qua triumphator tantisper subsistebat, dum in urbe pro triumpho apparatus fieret. Via salaria ita dicta; quòd per illam à Sabinis sal adveheretur. Paulus Aringus in Roma subterr. de peresus Christian.

